

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Gelria ducatus, complectens Zutphania comitatum & Overysfel dominium

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Gelriæ Ducatus, complectens Zutphaniæ Comitatum & Overyffel Dominium.

*Regio.  
Unde dictus.  
Situs.*

*Aëris temperies.  
Soli fertilitas.  
Animalium va-  
rietas.*

*Imperium majo-  
rium.*

**G**elria a *Gebre* arce, quam *Wicardus* a *Ponthe* una cum fratre *Lupoldo* adificasse fertur, nomen retinuisse dicitur: quamvis complures a *Gelduba* Opido cujus meminit *Tacitus* appellatam credant. Aliam etiam nominis rationem referunt alii. Hæc a Septentrione Frisiam & Sinum Germanici Maris, vulgo *Zoyderzee* habet: ab Ortu *Cliviæ* Ducatum, a Meridie *Iuliacum* attingit: *Brabantia* & *Hollandia* eam ab Occidente respiciunt. Aër regionis salutaris & purus: Ager fertilissimus & ad quamvis culturam aptus, Frumēti inprimis ferax: pascuis item fœcundus, unde Pecorum ingentes alit greges: quin & ex remotissima *Dania* eo pascendi faginandique gratia, numerosi greges aguntur: Lætissima namque ac amplissima, præsertim circa *Rheni*, *Vahalis* & *Mosæ* defluxus prata habentur. Initio recta gubernataque *Gelria* est a Præfectis: inde a Principibus. *Martini* enim *Austrasiæ* Præfecti ex *Lamberto* nepos *Leopoldus*, sive ut alii memorant *Guidus*, his locis præfuit. Post *Caroli Magni* tempora *Domini de Ponte* eam rexerunt, sub titulo præfecturæ. *Otto* inde *Nassovius* Princeps ejus dictus est anno *M LXXIX*, si *Lazio* est fides. Sequuti sunt *Gerardus*, *Henricus*, *Otto*, *Reinoldus*, cujus tanta fuit apud Imperatorem gratia, ut comitiis *Francofurtensibus* anno *M CCCXXXIX* die *XIV* Aprilis *Gelriæ* Dux a *Ludovico Cæsare Augusto* fuerit renunciatus. *Eduardus* *Reinoldum* Fratrem post varia prælia cepit, vincitumque in carcere detinuit totos annos decem: successit *Gulielmus*, huic frater *Reinoldus*, *Reinaldo Gulielmus Arculanus*. Hic sine liberis *Gorichemi* periit. Ejus soror *Ioanni Egmondano* nupsit: ac tandem post varias rerum mutationes eo res delapsa est, ut anno *M CCCXCII* *Carolus* filius *Adolphi* *Gallia* ab Ordinibus *Gelriæ* revocatus hæredem instituerit *Gulielmum* *Ioannis Cliviæ Ducis* filium, qui etiam cum maxima *Caroli Quinti* Imperatoris offensione rebus *Gelricis* aliquandiu præfuit, donec anno *M DXLIII* maxima *Iuliacensis* parte exutus Imperatori supplex factus est in caltris ad *Venloam*: hac tamen lege, ut totius *Gelriæ* possessione cederet, & subditis jusjurandum remitteret: *Cæsar* autem territorium *Iuliacense* ipsi redderet, duobus tantum *Opidis* exceptis *Hensbergo* & *Sittarto*. Atque hoc pacto *Gelri* initio liberi, postea sub Principibus vivere: servata tamen Legum Ordinumque suorum auctoritate. Hodie iidem *Optimatum* solum agnoscunt Imperium, ac pro libertate sua contra *Hispani* impotentiam fortiter pugnant.

Ducatus







## Urbes.

Ducatus hic Vrbes complectitur duas & viginti, quarum precipue *Novomagium*, *Ruwmunda*, *Zuphonia* & *Arenacum*, quod nunc vocant *Arnhemum*. *Novomagium* vel *Neomagium* (*Nymeghen*) urbs est antiqua, sita ad sinistram Vahalim ripam, cujus eo loco profundissimus est alveus: videtur Batonis quondam regia fuisse, certe Batenburgum Arcem vicinam habet, & intra urbem Hefsi Montem, a Filio (ut opinio est) Batonis Hefsi cognominatum. Vrbs vero ipsa situ atque opere permunita est, prædives, rerumque omnium affluens: qua Clivensem ditionem propinquam respicit, in arduum collem assurgit, cum vetustissima Arce, Juliano, ut vulgo, creditur, opere, a qua parte nemorosis Montibus & frequentibus fontium scatebris amœna regionis facies se aperit: diversa urbis ora in paludes depressior fidit, reliquum solum tumulo ferme perpetuo acclive est. *Ruwmunda* ad ostium Ruræ amnis, qua se in Mosam exonerat, urbs est amœna, dives, potens, in veteribus Menapiorum sedibus. *Zuphonia* ad dexteram Isalæ ripam Comitatus titulo insignis est, de qua postea. *Arenacum*, Tacito, quod posteri mutaverunt in *Arnhemum*, seu aquilæ domicilium: Vrbs est Gelriæ primaria & Consilii Senatorii sedes, copiosa, elegans & omnibus modis munitissima: ad Rheni Ostium dextrum sita. Sunt & minores urbes, *Hattem*, *Elburgum*, *Hardervicum*, *Wageninga* quæ *Vada Taciti*, *Tiela*, *Bomelium*, *Bronchorstium*, *Doesburgum*, *Doetecomium*, & alia complures. *Gelria* tribus celeberrimis fluviis, *Rheno* nempe, *Mosa* & *Vahali* irrigatur. Præter hæc & alia quædam ignobiliora flumina eandem perluunt, ejusmodi sunt *Worm*, *Roer*, *Sualm*, *Isala vetus*, *Berckel*, *Niers*, *Regge*, *Aa* & *Vidrus*. Ad Septentrionem respicit Sinum Maris quem hodie *Zuyder-zee*, velut Australe fretum, quod in Meridiem vergat, nuncupamus, ubi sicut Hollandia patente gremio accommodat se commercio Orbis. Terra plana ac humilis, montes rarissimi sunt, iidemque silvis saltibusque confiti. Quod ad Statum hujus Ducatus Politicum, is tria habet Membra, quæ sunt Baronix, Nobiles & Vrbes. Baronix sunt *Veluvia*, (*de Veluwe*) *Batavia*, (*de Bauwe*) *Bommelerweert*, *Tielerweert*. *Zuphonia* Comitatus sub quo sunt *Bronchorst* Comitatus, & *Herbergenensis*. Superior *Gelria* in qua sunt *Ruwmunda* & *Gelder*. Nobiles sunt Comites *Bronchorst* & *Herbergen*. Domini *Batenborch*, *Groesbeek*, *Montfort*, *Wel*, *Wachtendonck*, *Grol*, *Anholt*, *Keppel*, *Bredfort*. *Baren*, Comitatus sui juris est in Gelria. Civitates 1 v primariae *Neomagium* Vice-Comitatus & Feudum Imperii, Civitas Libera Metropolis totius Ducatus Gelriæ, quæ habet sub se, *Bataviam* (*de Betuwe*) Superiorem & Inferiorem, *Bommelerweert*, *Tielerweert* & *Maeswael*, Territorium inter *Vaholim* & *Mosam*. *Ruwmunda* Superioris Gelriæ Caput, quæ habet sub se *Venlo*, *Gelder*, *Vagedie*, *Stralen*, *Wachtendonck*, *Eckelen*, *Montfort*, *Echt*, *Nieuwstat*, *Kessel*, *Midler*, *Griekenbeke*. *Zuphonia*, cui subsunt *Donsburgum* &c. *Arnhemum* sub qua sunt *Wageninge*, *Hattem*, *Harderwijck*, *Elborch*, & tota *Veluvia*. *Arnhem* Sedes Consilii Senatorii & Præsidis totius Gelriæ, ad quos referuntur judicia 1 v dictarum Civitatum, sine ulteriore appellatione, ad has quoque eorum Opidorum & Locorum quæ ipsis subesse dictum est. Status Ecclesiasticus ejusmodi. Gelria Episcopis 1 v subjecta erat: *Neomagium* cum suo Territorio suberat Episcopo Coloniaensi; *Ruwmunda* cum suis Leodiensi; *Zuphonia* cum suis Monasteriensi; *Arnhemum* cum suis Trajectensi.

Incola

## Flumina.

## Mare.

## Montes.

## Silva.



Incolæ bellicosi ac armis mirum in modum addicti erant, paulo ante nostra tempora: hodie humanitatis studia maiore industria sectantur. Mercaturæ quoque negotiationique insunt, magna ex parte, reliqui mechanicis partim Artibus addicti, partim Agriculturæ, ob Soli benignitatem inhiantes, uberrimos Fructus consequuntur. Complectitur hic Ducatus, præter alios Comitatus & Baronias Comitatum Zutphaniæ. Hæc nomen a ratione Soli, si Goropio Becano credendum, accepit, a Paludibus nempe, quas *Venen* vulgò vocant, Huius Regionis Incolæ ut vicini Proavorum indolem ac genium referunt, fortes sunt belloque ut plurimum apti, Gelriam quippe, & Zutphaniæ potissimum Comitatum, *Sicambri* multorum sententia, quondam obtinuerunt, quibus præcipua feritas, & bellandi præ cæteris Germanis studium inerat, unde perpetuis incursionibus, Gallias infestabant. Qua de causa, pacato jam Orbe Terrarum, aliqualiamdiu portas Iani claudere non poterat Octavianus Augustus, quod intellexisset Sicambros adhuc Galliis infestos esse. Orbo autem *Nussovius* Geltriæ Dux præter Filium Gerardum qui ipsi in Ducatu Geltriæ successit, ex Sophia Zutphaniæ Comitissæ Filia *Gerlacum* genuit, quem in Zutphaniæ Comitatu successorem habuit. Quo improbi è vivis sublato, Zutphaniæ Comitatus Geltris adscriptus fuit, a quibus postea nunquam descivit. Urbem habet cognominem quam *Uspetium* civitatem esse autumat Iunius, frequentem, copiosam & Aquis munitam, ad dexteram Isalæ fluvii ripam. Eam Berckel amnis perfluit, & ibidem Isalæ miscetur. Comitatu porro Zutphanico assignatæ sunt Urbes & Præfecturæ ordine sequentes: *Doustrugium*, *Doetecomum*, *Lochemum*, *Grolla*, *Bredevoirda*, *Bronckhorst*, hæc quidem Urbes; Præfecturæ autem eæ, quæ nomen ab his ipsis urbibus sortiuntur. Atque his rursus præest Summus unus Præfectus, quem lingua vernacula Zutphanici Comitatus *Drossartum* appellant. Huic quoque parti adscribitur, urbs *Herenbergensis*, & ipsa Comitatus nomine insignis.

Restat nunc ut pauca de *Trans-Isalania* subjungamus, ob situm Isalæ sic dicta. Hæc a Septentrione Frisiam Occidentalem: ad Meridiem Gelriam respicit: qua Oriens est Westphalia est: qua Occidens Sinum amplissimum (hodie *Zuyder-zee*) & Fluvium Isalæ habet. Regio plana est ac humilis: Ager feracissimus, Frumenti in primis: Pascuis item fecundus. *Trans-Isalania* Provincia multis seculis *Ultrajectensibus* Episcopis subdita fuit: donec anno MDXII hortatu Henrici Palatini Episcopi *Ultrajectensis* sese Carolo v ejusque successoribus submisit. In hac Provincia urbes mœnibus cinctæ octo sunt, videlicet *Daventria*, *Campi*, *Sivolla*, *Steenwyckum*, *Vollenhove*, *Hassela*, *Oetmarsia* & *Oldeseela*. *Daventria* (*Deventer*) omnium primaria & maxima, Ansuariorum Civitas, unde manet notum illud omnibus & lippis & tonforibus, *Ansenstadi*, urbs rerum omnium copia circumfluens, opulenta & beata ac valide munita: ad dexteram Isalæ ripam sita. Reliquas prætereo. Habet præter Isalæ *Vidrum*, aliaque minora flumina. Præterea amœna & utilia Nemora quamvis exigua & sine nomine. Status Politicus *Tras-Isalaniæ* in duobus Ordinibus consistit, qui sunt Officarii Principis cum Nobilitate, in qua sunt *Almelo*, *Ghoer* & c. idque per tres ditionis partes, *Isselland*, *Twent* & *Drent*. Summus Magistratus & Parlamentum est in *Vollenhove*, unde appellare non licet.